



JOSEPHI FINESTRES

ET DE MONSALVO, J.Cti, ET ANTECESSORIS.

EXERCITATIONES
ACADEMICÆ

IN

L. 5. DIGEST. DE JUST. ET JURE,

ET

L. 2. DIGEST. DE STATU HOMINUM.



JOSEPHI
FINESTRES
ET DE MONSALVO,

BARCINONENSIS J. Ctl;

ET IN PHILIPPICO CERVARIENSI ATHENÆO

PRIMARI LEGVM ANTECESSORIS,

EXERCITATIONES
ACADEMICÆ XII.

In L. Ex hoc Jure 5. Dig. de Just. & Jure:

ATQUE ALIÆ

In L. Cum igitur 2. Digestor. de Statu hominum:

EX LIBRO I. EPITOMARUM JURIS

HERMOGENIANI J. C.

ACCEDIT

DISSERTATIO DE EODEM HERMOGENIANO

ET EJUS SCRIPTIS.

Typis Academicis, excudebat
Anno M. DCC. XLV.
SUPERIORUM PERMISSU.




D. O. M.
MARIA.

DEI. MATER. ET. VIRGO.
CUM. CHRISTO. REDEMPTRIX. HOMINUM.
REGINA. COELI. TERRAEQUE.
SANCTISSIMA. FELICISSIMA. POTENTISSIMA.
MAGNA. SECUNDUM. DEUM.
IN. PRIMO. SUAE. CONCEPTIONIS. MOMENTO.
DELETA. LEGE. PECCATI.
SCRIPTA. GRATIAE.
VICTRIX.
DEBELLAVIT. INFERNUM.
PATRONAE. OPTIMAE. IN. HOC. MYSTERIO.
ALMAE. PHILIPPICAE. BORBONIAE.
CERVARIENSIS. ACADEMIAE.
DOMINAE. STILLI. SUI. AC. ANIMAE.
PRO. MONIMENTO. QUOD. POTUIT.
TANTAE. VICTORIAE.
PRO. FAUSTO. OMINE. ELUCUBRATIONUM. SUARUM.
HAS. EXERCITATIONES. ACADEMICAS.
AD. LEGEM. QUINTAM. DE. JUSTITIA. ET. JURE.
ET. AD. LEGEM. SECUNDAM. DE. STATU. HOMINUM.

D. O. C. Q.

JURATISSIMUS. CLIENS.

JOSEPHUS. FINESTRESIUS.



EXERCITATIONES

ACADEMICAЕ

IN LEG. V. DIGEST. DE JUSTITIA, ET JURE.

* *
*

HERMOGENIANUS

LIB. I. JURIS EPITOMARUM.

LEX V. DIG. DE JUST. ET JUR.

EX hoc Jure gentium introducta
 bella, discretæ gentes, regna
 condita, dominia distincta, agris ter-
 mini positi, ædificia collata, com-
 mercium, emptiones venditiones, lo-
 cationes conductiones, obligationes
 institutæ, exceptis quibusdam, quæ à
 Jure civili introductæ sunt.

DE HERMOGENIANO

JURIS CONSULTO,

ET EIVS SCRIPTIS

DISSERTATIO.

QUÆ de Hermogeniano dici possunt, adeo incerta sunt omnia, ut disputationi potius, quam narrationi materiam præbeant. Nihil est, de quo inter omnes conveniat, nisi, quod ex ipso indice Pandectis Florent. præfixo constat, scripsisse eum *Epitomarum juris lib. VI.* Ambigunt enim de nomine, prænomine, ætate qua vixit, religione, scriptis, & stilo. Horum verò nihil ad ejus Interpretem æque pertinet, ac cognitio temporis quo scripsit, sine qua vera & genuina multarum ipsius Epitomarum explicatio crui non potest.

2. Ex recentioribus J. Ctis fuisse Hermogenianum nostrum, probat Guill. Grotius *de Vitis J. Ctorum, lib. 2. cap. 12. §. 8.* quòd postremus in catalogo recensetur, & sæpè leges ab ipso scriptæ sunt finales titulorum. Floruisse post Diocletianum, & Maximianum evincere tentat, quòd *in L. ult. ad L. Fab. de Plagiar.* scribit ipse Hermogenianus, *pœna pecuniaria statuta Lege Fabia in usu esse desit*: quam certè pœnam Imperatores illi primum exasperarunt, & capitalem fecerunt VI. Idus Decembr. An.

Chr.